

Diem decoro lumine,
 Noctem soporis gratia.
 Artus solutos ut quies
 Reddat laboris usui,
 Mentesque fessas allevet,
 Luctusque solvat anxios.

Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum
 ancillam tuam, conversationemque ejus piam in te, et sanctam in nos blandam, atque morigeram, qua subito destitutus
 sum; et libuit flere in conspectu tuo de illa, et pro illa, de
 me, et pro me. Et dimisi lacrymas, quas continebam, ut
 effluerent, quantum vellent, substernens eas cordi meo; et
 requievit in eis, quoniam ibi erant aures tuae, non cuius-
 quam hominis superbe interpretantis ploratum meum. Et
 nunc, Domine, confiteor tibi in literis. Legat, qui volet, et
 interpretetur, ut volet, et, si peccatum invenerit, flevisse
 me matrem exigua parte horae, matrem oculis meis interim
 mortuam, quae me multos annos fleverat, ut oculis tuis
 viverem; non irrideat, sed potius, si est grandi charitate,
 pro peccatis meis fleat ipse ad te patrem omnium fratrum
 Christi tui.

CAP. XIII. ORAT PRO MATRE DEFUNCTA.

Ego autem jam sanato corde ab illo vulnere, in quo
 poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi, Deus noster,
 pro illa famula tua longe aliud lacrymarum genus, quod manat
 de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animae,
 quae in Adam moritur. Quanquam illa in Christo vivificata,
 etiam nondum carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen
 tuum in fide, moribusque ejus. Non tamen audeo dicere, ex
 quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse
 ab ore ejus contra praeceptum tuum. Et dictum est a ve-
 ritate filio tuo: Si quis dixerit fratri suo: fatue, reus erit
 gehennae ignis. Et vae etiam laudabili vitae hominum, si,